

ITEM EPISTOLA LEONIS PAPE AD TEODOSIUM AUGUSTUM DE SECUNDA SYNODO EPHESIANA, IN QUA EUTICETIS HERESIS QUORUNDAM EPISCOPORUM PRAVO INTELLECTU ADIUTA EST UNDE ORTATUR EUNDEM AUGUSTUM, UT PRISCE FIDEI CONSTITUTIO AB EIS  
 5 NON VIOLETUR; SED DONEC SACERDOTES TOTIUS ORBIS COADUNENTUR

LEO EPISCOPUS ET SANCTA SYNODUS QUAE URBE ROMA convenit, Theodosio Augusto.

Litteris clementiae vestrae, quas dudum ad beati Petri apostoli sedem pro catholicae fidei amore misistis, tamquam fiduciam sumpsimus defendendae per vos veritatis et pacis, ut in causa tam simplici tamque munita nihil putarem posse  
 10 existere quod noceret, praesertim cum ad aepiscopale concilium, quod haberi apud Aephesum praecepistis, tam instructi sint missi, ut si scripta quae ad sanctam synodum vel ad Flavianum episcopum detulerunt episcoporum publicari  
 15 auribus Alexandrinus permississet antistes, ita manifestatione purissime fidei, quam divinitus inspiratam et accepimus et tenemus, omnium concertationem strepitus quievisset, ut nec imperitia ultra desiperet, nec occasionem nocendi aemulatio reperiret.

Sed dum privatae causa religionis exercitui sub obtentu commissum est impietate paucorum, quod universam ecclesiam vulneraret. Comperimus enim, non incerto nuntio sed fidelissimo rerum quae gesta sunt narrante Hilario diacono nostro—qui vix, ne subscribere per vim cogere, effugiit—convenisse ad synodum plurimos sacerdotes, quorum utique frequentia consolationi et iudicio profuisset, si is, qui sibi locum principem vindicabat, sacerdotalem moderationem custodire  
 25 voluisset, ut, sicut moris est, omnium sententiis ex libertate prolatis, id tranquillo et aequo constitueretur examine, quod et fidei congrueret et errantibus subveniret. In ipso autem iudicio non omnes, qui convenerant, interfuisse cognovimus, nam alios reiectos, alios didicimus intromissos, qui pro supradicti sacerdotis arbitrio impiis subscriptionibus captivas manus dederent, et nocituros statui suo scirent,  
 30 nisi imperata fecissent, talemque ab ipso prolatam esse sententiam, ut dum homo unus impetitur, in omnem ecclesiam seviretur.

Quod nostri ab apostolica sede directi adeo impium et catholicae fidei contrarium esse viderunt, ut ad consentiendum nulla potuerint oppressione compelli, constanterque in eadem synodo, ut decuit, fuerint protestati, nequaquam id quod  
 35 constituebatur sedem apostolicam recepturam; quoniam re vera omne Christianae fidei sacramentum, quod absit a temporibus vestrae pietatis, excinditur, nisi hoc scelestissimum facinus, quod cuncta sacrilegia excedit, aboleatur.

Quia vero diabolica nequitia subtiliter fallit et ita quorundam imprudentiam per similitudinem pietatis includit, ut pro salubribus nocitura persuadeat, removete,  
 40 quaesumus, a vestrae piaetatis conscientia periculum religionis et fidei, quodque in secularibus negotiis legum vestrarum aequitate conceditur, in rerum divinarum pertractatione praestate, ut Christi evangelio vim non inferat humana praesumptio. Ecce ego, Christianissime et venerabilis imperator, cum consacerdotibus meis

11 tamque] *corrected from* tamquam    15 antistes] *corrected from* antistites    19 causa ... obtentu] *corrupted*; *compare H*: causae religionis exercentur obtentu    21 rerum quae] *erroneously*, rerumque    29 nocituros] *better, as in H*: nociturum    30 fecissent] *corrected from* fecessent    39 salubribus] *corrected from* salubricus

implens erga reverentiam clementiae vestrae sinceri amoris officium cupiensque  
 vos placere per omnia Deo, cum pro vobis ab aecclesia supplicatur, ne ante tribu- 45  
 nal Christi Domini rei de silentio iudicemur, obsecramus coram unius deitatis  
 inseparabili trinitate, quae tali facto leditur, cum ipsa vestri sit custos et auctor  
 imperii, et coram sanctis angelis Christi, ut omnia in eo statu esse iubeatis, in quo  
 fuerunt ante omne iudicium, donec maior ex toto orbe sacerdotum numerus con- 50  
 gregetur; nec alieno peccato patiemini vos gravari, quia, quod necesse est nos  
 dicere, veremur, ne si hec religio dissipetur, in vos indignatio provocetur. Prae  
 oculis habete et tota mentis acie reverenter aspiciate beati Petri gloriam et commu-  
 nes cum ipso omnium apostolorum coronas cunctorumque martyrum palmas,  
 quibus alia non fuit causa patiendi, nisi confessio verae divinitatis et vaerae hu- 55  
 manitatis in Christo.

Cui sacramento, quia impie nunc a paucis imprudentibus obviatur, omnes par-  
 tium nostrarum ecclesiae, omnes mansuetudini vestrae cum gemitibus et lacrimis  
 supplicant sacerdotes, ut, quia et nostri fideliter reclamaverunt et eisdem libellum  
 appellationis Flavianus episcopus dedit, generalem synodum iubeatis intra Italiam 60  
 celebrari, quae omnes offensiones ita aut repellat aut mitiget, ne aliquid ultra sit  
 vel in fide dubium vel in caritate divisum, convenientibus itaque orientalium  
 provinciarum episcopis, quorum si qui superati minis aut iniuriis a veritatis tra-  
 mite deviarunt, salutaribus remediis in integrum revocentur, ipsique quorum est  
 causa durior, si consiliis melioribus adquiescent, ab ecclesiae unitate non exced- 65  
 ant. Quam autem post appellationem interpositam hoc necessariae postulatur,  
 canonum Nicea habitorum decreta testantur, quae a totius mundi sunt sacerdoti-  
 bus constituta, quaeque subter adnexa sunt.

Favete catholicis vestro more parentumque vestrorum, date defendende fidei  
 libertatem, quam salva clementiae vestrae reverentia nulla vis, nullus poterit 70  
 mundanus terror auferre. Cum enim ecclesiae causa statum regni vestri agimus et  
 salutis, ut provinciarum vestrarum quieto iure potiamini. Defendite contra hereti-  
 cos inconcussum ecclesiae statum, ut vestrum Christi dextera defendat imperium.

Data Id. Octob. Asterio et Protogene vv. cc. cons., era qua supra.

45 cum] *better, as in H: cui*      47 trinitate] *deitate trinitate before correction (deitate expunged)*      70 causa statum] *corrupt; read, as in H: causas tum*